DECRETA
SYNODALIA
DIOECESIS FERETRANAE
AB ILL.RI ET REVEREND.MO
D. IOANNE FRANCISCO
SORMANO I. V. D.

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPO FERETRANO

Edita.






Ex legato Illustriss: Focini.

ARIMINI, Apud Ioannem Simbenium.
M. D. XCII.

Permissu Superiorum.



IOAN. FRANCISCVS SORMANVS DEI, ET S.^tae SEDIS APOSTOLICAE GRATIA EPISCOPVS FERETRANVS,



Vniuersis suis Diœcesanis S. D.



QVOD à Deo optimo maximo Patre D.N. Iesu Christi, votis omnibus exposcebatur, ne videlicet Sancta Mater Ecclesia, pijsq; greges, & populi acquisitionis, ab Hæreticorum ingluuie absorberentur, sed vt lupis deterritis, ac propulsatis, Christi oues haberent, quò se se tutò reciperent, & salubri cibo reficerentur, id ab ipsius diuina misericordia impetratum; perpetuæ igitur à nobis gratiæ agēdæ sunt Spiritui Sancto, qui affluit, instruxit, & impulit eos, qui Christi

vicem gerebant in terris, ut conuocarent Patres, Prælatos, & Præfectos ecclesiarum omnium, qui legitimè, & de iure, & veteri Ecclesiæ consuetudine vocari consueuerunt, ut in Ciuitatem Tridentinam conuenirent ad œcumenicum, & generale Concilium solemniter celebrandum, vbi illi publicos habentes conuentus, & in officio, atque opere sancto, annos xvj. persistentes, discernendo, decidendo, ac decernendo, tandem constituerunt quæ ad cultum diuinum, fidei catholicæ defensionem, morumque reformationem pertinerent, singulaquè postea ad utilitatem, & salutem gentium, ac populorum fidelium in unum volumen digesta, & redacta in lucem ediderunt, ut ab omnibus legi, atque facilè intelligi possent; quo volumine à Sanctissimo D. Pio Quarto Pontifice maximo felicis recordationis, anno à Natali Iesu Christi Seruatoris 1564. viuę uocis oraculo, approbato, nobis mandatum, ac iussum est, ut Constitutionibus, ac decretis, quæ in eo continentur, non modo nos pareremus, sed curaremus diligenter, ut & cæteri parerent, ne ea contemnentes diuinæ gratiæ iniuriam facere, & patrum beneficijs, quos non magnis itinerum laboribus, non impensis, nequè adeò saluti pepercisse constat, ut eorum opera esset Christianæ Reipublicæ felix, & Saluatoris, immemores videremur. Nos igitur, qui Deo, & Patribus illis plurimum debere fatemur, quid quid in nobis fuit, quando aliud dare non possumus, libenter dedimus. Primum, quæ tàm maturè, & sapienter, fauente spiritu, congesta sunt, hilari animo excipientes, & toto corde, atquè obuijs (quod aiunt) vulnis complectentes, non modo alijs, sed nobis ipsis

primò

primò quoque tempore ſeruanda, exequendaquè propoſuimus. Deinde ne in aliquo verè redargui poſſemus, vllamuè partem cohortationis, pietatis, charitatisquè plenè, & mandati Sanctiſsimi D Pij V. Pontificis maximi, prò ineffabili eius erga nos beneuolentia, atquè humanitate, in diſceſſu ab Vrbe nobis facti, & fidei à Sanctiſsima ſede Apoſtolica habitæ, ex animo vnquàm depoſuiſſe uideremur, cum primum Diœceſim hanc noſtram perueniſſemus, nonullas Conſtitutiones ex tempore, lingua conſtantes prope uernacula, atquè inter Clericos vſitata dictauimus, quæ in Synodo legitimè congregata, publicatę, in Dei omnipotentis laudem, unà cum Sacri Concilij Tridentini, Conſtitutionibus noſtris prius lectis, atquè per nos declaratis, vno omnium ore commendatæ, & lętis animis exceptæ, atquè approbatæ fuerunt. His poſtea alias adiunximus, & in ſequentibus Synodis Diœceſanis publicauimus, & demum omnes in unum hunc libellum redegimus. Et quia fruſtra fiunt leges, niſi ſint, qui eas exequantur: hortamur nos, atque obſecramus per viſcera miſericordiæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ut omnia in eo contenta ſimul cum ſacri Concilij Trident. Conſtitutionibus, & viſitationis, decretis, non timore pœnæ, ſed uirtutis amore ad unguem obſeruare uelitis, ut ueri Clerici, & meritò in ſortem Domini uocati, non ſolum uerbo, ſed & opere dici poſsitis, & ne ijs, quæ imponuntur pœnis, quidquam prorſus relinquatur loci, ſed omnino procul à Diœceſi hac noſtra huiuſmodi pœnæ ſint relegatæ. Quod ſi à uobis, ut in Domino confidentes ſperamus, ſedulò factum audierimus, & uos de

uobis

uobis ipſis optimè (mihi credite) mærebimini, & nos amplam noſtrorum laborum mercedem, immortales altiſsimo, atque omnipotenti Deo gratias ſemper agentes, uidebimur conſecuti.



DE

DE SANCTISSIMO Euchariſtiæ Sacramento in tabernaculo conſeruando.

Cap. Primum.



VM Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramentum longè alijs excellat, in eo etiã accuratiſsima diligentia requiritur. Propterea Rectores omnes, ac alij, quibus cura animarum ſubeſt, in ſuis Eccleſijs Tabernaculum ligneũ intus, & foris, quòd fieri poterit ornàtum, ac ſubtus tela corporali ſtratum, in quo hoc Sacramentum, in pixide argentea, conſeruetur, ſuper maiori altari, vel in alio digno Eccleſiæ loco, habeant, & ante illud aſsiduè dies, noctesq; ſaltem lampas ardeat; Ipſum prætere Tabernaculum ſit clauſum ſera, & claue, quæ ab Eccleſiæ Rectore diligenter cuſtodiatur, & huiuſmodi ſacramentum octauo quoq; die in Tabernaculo renouetur; ſi quis autem negligens fuerit, pœna duplicatæ æſtimationis Tabernaculi, ac alijs ſecundum erroris qualitatem, arbitrio noſtro punietur.

Cap. 2.

Cap. II.

PAROCHI, & alij Ecclesiarum Ministri diligenter curent, vt omnes ipsis subiecti, tempore Paschatis sanctißimæ Resurrectionis, nisi aliqua iusta causa à nobis, vel Vicario nostro approbata, tẽpus differre vellent, sacram Eucharistiam sumant; Alioquin intra octo dics post octauam, ijdem Parochi manu sua ad nos, vel Vicarium nostrum nomen, & cognomen illorum, qui in hoc peccauerint, simul cum causis, quas extra confeßionem acceperint, intra prædictum temporis spatium scripto, sub pæna decem scutorũ, deferãt.

Cap. III.

ALMVM hoc sacramentum, vbi cõmode hoc fieri poterit, fœminis seorsum à maribus porrigi volumus; Admonentes tamen simul omnes, ut humili, & honesto habitu, animi, & mentis submisſionem, & deuotionẽ significante, ad tantum misteriũ accendant.

Cap. IIII.

PAROCHI, adoloscentes ad hoc venerbile Sacramentũ percipiendum, primo aditu non admittant, quàm eos aliquandiù diligenter examinauerint, et virtute huius sacramẽti exquisitè instruxerint, ita ut panem spiritualem à temporali discernere valeant.

Cap. 5.

Cap. V.

PAROCHI postquam sanctã Eucharistiam populo ministrauerint, non in calice, nec in alio vase, ad formã calicis fabricato, sed in cyatho, vel patera uitrea purificationẽ præbeãt, sub pœna scuti unius pro quocunq; Rectore, si secus factum fuisse reperietur.

Cap. VI.

DVM sacra eleuatur hostia, pulsetur campana, ut qui audiunt, licet non adsint, admoneãtur, & saltem mente illam adorent. Sub pæna duorum iuliorum pro qualibet uice.

De Sanctiss. Sacramento ad infirmos deferendo.
Cap. Primum.





SACERDOS superpeliceo, ac stola indutus, sanctißimam Eucharistiam ad infirmos summa cum reuerentia, & religione, in bursa serica, quæ collo annecti poßit, in pixide argentea corporali strata, repositam, cum luminibus, & campanellis, & cum vmbella (ubi cõmode fieri poterit) præcedentibus, deferat, sub pœna scuti unius pro qualibet vice, qua contrauentũ fuerit.

 Cap. II. 

QVONIAM verò periculum eſt in eundo, ne luminaria extinguatur, in his præſertim regionibus, vbi magna uis ventorum dominatur, quod ſine maximo dedecore nō eſſet; Ideo Parochi intra duos menſes (niſi vnusquiſq; eorum contraueniēs quatuor aureis mulctari velit) lāternam magnam ſuper condecenti haſta poſitam huic ſolo negotio deſtinatam, habeant; Hortentur inſuper Parochi quàm ſæpiſſimè populum ſibi ſubiectum, vt cum deferendū erit hoc ſacramentum, ſtatim pulſata Aue Maria, ac datis ſignis ad eum inuitandū, conuocatus adſit, neq; eum pigeat, Deum Redemptorem noſtrum concomitari, colere, & venerari.

 Cap. III. 

SI quis ex neceſſitate, vel alia iuſta cauſa ab Epiſcopo, vel proprio Parocho comprobanda, extra ſuam parochiam communionem acceperit, niſi veritatis fidem ab eodem, à quo ſumpſerit, proprio Sacerdoti detulerit, in eum agatur, ac ſi non communicaſſet.

De

De silentio in comitando Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ.

Cap. Vnicum.





ONCOMITANTES hoc sacramentum ab omni prorsus strepitu abstineant, sed denudato capite, vel orationem dominicã, uel salutationem Angelicam, vel Hymnum Pange lingua, freqenter submissa voce, cum debita sanctitate recitent, idque ut faciant etiam, atque etiam rogamus. Qui uero secus fecerint, sciant se ultra indignationem omnipotentis Dei, ex qualitate delicti à nobis fore puniẽ[illegible]

De Sacramento Baptismi.

Cap. Primum.





AROCHIS, & alijs Ecclesiarum Ministris, sub suspensionis pœna, mãdamus, ne aliter, quàm adhibitis exorcismis, ex sufflationibus, unctionibus, & alijs secundum Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ritum, ab antiquo tempore obseruari solitis, in aqua pura, ac simplici, benedictione solemni, & sacri chrismatis unctione san

ctificata (nisi necessitate cogantur) hoc Sacramẽtum ministrare audeant.

 Cap. II. 

NE *plures baptizatum de baptismo suscipiant, sed vnus tantum siue Vir, siue mulier, vel ad summum vnus, & vna, laudabilis vita, & honesta fama, Neque sit Clericus sacris initiatus, vel Monachus, aut qui ignoret Symbolum Apostolorum, Orationem dominicam, & Angelicam salutationem, & qui eo anno Pascha tempore, ex præcepto Ecclesiæ peccata confessus non fuerit, & Sanctissimam Eucharistiam non sumpserit, sub pœna sex scutorum.*

 Cap. III. 

P*AROCHVS doceat compatres, per baptismum in Christo filios spiritualiter generari, & eos pro suo susceptionis officio, fide, pietate, & christianæ religionis rudimentis, & optimis moribus formare, si parentes id facere ommiserint, teneri.*

 Cap. IIII. 

H*ABEAT librum Parochus in conuenienti loco, & cauto, in quo baptizati parentum, et compatrum, nomen, cognomen, diemq; natiuitatis,*

&


& baptiſmi, & ſi ex iuſtis nuptijs ſuſceptus ſit, deſcribat, & ſingulis annis per totam octauam Paſchatis Reſurrectionis, eius rationis exemplum det nobis, vel Vicario noſtro, in libro ad hoc deſtinato regiſtrādum, ſub pœna ſcutorum duorum vnoquoque anno, quo defecerint.

Cap. V.

IN baptiſmo, & confirmatione idem patrinus non fiat, niſi neceßitas cogat, nec plures duobus, in confirmatione quis teneat.

De pueris domi baptizatis.

Cap. Primum.





PAROCHIS, & alijs Eccleſiarum Miniſtris ſtrictè ſub ſuſpenſionis pœna præcipimus, vt de pueris in domibus parentum baptizatis, ab obſteſtricibus, vel alijs, exquirere non deſint, & ſi compererint debitam verborum formam ſeruatam, baptiſmum ſic traditum approbent, illum vero conſuetis vnctionibus cum oleo ſancto in pectore, ſcapulis, & vertice cum chriſmate, iunctis ſolitis præcationibus, quæ in agendis habentur, iuxta vetuſtißimū Eccleſiæ ritū, piè, et cautè ſuppleāt.

Cap. 2.

 Cap. II. 

QVI verò domi debita forma baptizati nõ fuerint, totum baptiſmum, ſecũdum Eccleſiæ ritum, ſuſcipiant.

 Cap. III. 

SI autem, certum ſit puerum baptizatum fuiſſe, ſed neſcitur, adhibita etiam exacta indagatione, qua forma ſit baptizatus, tunc ſub conditione baptizetur. Si es baptizatus ego te non baptizo, ſed ſi non es baptizatus Ego te baptizo. Et iſta non cenſebitur ſecunda, ſed conditionalis baptizatio.

 Cap. IIII. 

SVNT etiam aliqui, qui nullum putant baptizatum, cum ſub conditione baptizant, propterea nõ ſolum perſcrutari, & inueſtigare non curant, ſit ne puer baptizatus, vel non, verum etiam ſi conſtat eſſe domi baptizatum, eum rurſus ſub condictione in Eccleſia ſacri fontis aqua ſolemniter baptizant, quod de cætero, ſub dicta pœna, & alijs arbitrio noſtro infligendis, cauendum duximus.



De